

1944-02-10 - SS Pius XII - Littera. Ad Petrum Leturia
Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII,
 VI, Sesto anno di Pontificato, 2 marzo 1944 - 1° marzo 1945, pp. 381-383
 Tipografia Poliglotta Vaticana

PIUS PP. XII

**EPISTULA AD R. P. PETRUM LETURIA, S. I., E DECURIALIBUS DOCTORIBUS
 PRIMUM HISTORIAE ECCLESIASTICAE
 TRADENDAE IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA**

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Inter plura observantiae pietatisque testimonia quibus Pontificia studiorum Universitas Gregoriana quintum ac vicesimum Nostri episcopatus annum est proseguuta, in primis Nobis opus placuit cui titulus «*Xenia Piana*» a decurialibus Doctoribus reverenter Nobis dicatum, qui in eodem Athenaeo historiae ecclesiasticae pervestigandae tradendaeque sedulam dant operam.

Quanti enimvero eiusmodi disciplinas faciamus, quaenam sint in eisdem impertiendis normae sequendae, quam uberem denique rerum copiam praebeant Urbis monumenta, bibliothecae ac tabularia ad Ecclesiae memorias satius aptiusque perspiciendas inde ab eius exordiis ad haec usque tempora, Nostri Pontificatus initio, die nempe XXIV mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIX, clare in oratione illa exposuimus quam ad alumnos e Romanis utriusque cleri Institutis habuimus. Hae videlicet disciplinae «*quatenus in scholis tractantur, non tam in quaestionibus criticis et mere apologeticis haereant, quamvis hae quoque suum momentum habeant, sed potius semper id spectent, ut actuosam Ecclesiae vitam demonstrent*». Quae quidem vita - id Nobis in praesens iterum inculcare cordi est - per decurrentia saecula velut ob oculos posita, ad maturum de Ecclesiae conditione iudicium efformandum et ad sincerum erga Ecclesiam amorem fovendum magnopere confert.

Plane autem exploratum est, hanc Historiae Ecclesiasticae scientiam professoribus fore defuturam, nisi magis in dies magisque proficientes peculiaribus studiis exercitationibusque instituantur, praesertim cum Historiae Ecclesiasticae sat diffici studio pericula officiant tum indigestae eruditio, tum usus sive indocte deficientis sive imprudenter exuberantis criticae, tum illius praesertim Ecclesiae rerum aestimationis, quae ex acatholicorum auctorum imitatione facile profecta, eventus humanas vires saepenumero transcendentes parvulo mentis nostrae modulo diiudicare ac metiri temere conatur.

Itaque, postquam Decessor Noster f. m. Pius XI per Apostolicam Constitutionem *Deus scientiarum Dominus* Historiam Ecclesiasticam ad gradum primariae disciplinae in Facultate, ut aiunt, Theologica evexit, ac diversarum disciplinarum professores sua quemque laurea esse instruendos edixit, peropportune factum est, ut, quemadmodum aliarum efformandis magistris sacrarum disciplinarum iam pridem Instituta et Facultates in Urbe erant, quae in ipsa Constitutione recensentur, historiae quoque ecclesiasticae integra Facultas in Nostra studiorum Universitate Gregoriana constitueretur.

Cuius quidem actusae iam per decem annos sedulitatis testimonium in optimis potissimum apparandis omnique ope instruendis praceptoribus, undeviginti dissertationes ab eius e variis Nationibus variisque linguis alumnis sollerti cura exaratas, Nobis offerre voluistis.

Seriem praeterea «*Miscellaneorum Historiae Pontificiae*», ab eadem Facultate inde a primo Nostri Pontificatus anno inchoatam, cuius volumen septimum «*Xenia Piana*» inscribitur, merita laude honestamus, eidemque ominamur, ut maioris praeludia sint operis, quo Historiae Pontificiae monumenta, a viris doctis usque adhuc egregie composita, prosequi et perficere curis laboribusque vestris contendatis. Ac nusquam procul dubio aptius, quam in hac alma Urbe, ubi omnia ad hoc invitant, Romanorum Pontificum historia pervestigari atque adornari potest, cui quidem parandae nulla antea exstabat continuata commentariorum series.

Quo autem et vestrum et eorum, qui vobis navabunt operam, magis sit fructuosum studium, caelestis patrocinii auspicem Nostraeque caritatis testem, Apostolicam Benedictionem cum tibi, Dilecte Fili, tuisque laborum sociis tum cunctis istius Facultatis alumnis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die X mensis Februarii anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XII